

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XV. Continens Historiam, De Educatione Et Vita Jesu, A Quinto
Aetatis Anno Usqve Ad Trigesimum Sive Ad Inchoationem Publici Ministerii,
Lucae 2.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

verum Nezer Pontificium, Regium & Sanctum sanctorum competere, vocandus & publicè prædicandus erat verus Nazaræus. Mirabili igitur Dei consilio appellatione à patria Nazareth, ubi educatus erat, accepta, publicè prædicabatur, verus Dei Nazaræus. Judæi quidem contumelia gratia Christum ita appellabant: sed Dei consilium erat ut indicaretur & publicè prædicaretur, Christum verum esse Nazaræum, hoc est, Regem, Pontificem, & Sanctum sanctorum, qui unctione, corona, diademate & reliquis legalibus ritibus præfiguratus fuerat. Et quia ab externis legalium Nazaræorum, Regum & Pontificum insignibus ita appellari non poterat, quia illa fuscipere & gefare non voluit: à patria igitur educationis Nazareth, publicam illam appellationem accépit. Et de Messia expressè ita loquitur Psal. 132. v. 18. illud producam cornu David, super ipsum florebit Nezer, corona seu sanctificatio ejus.

Ac secundum hanc rationem, typus Simsonis Nazaræi, pulcrè huc potest accommodari. Jud. 13. v. 5. Nazaræus Dei vocabitur ab utero. Simsonem enim fuisse in multis figuram Christi Salvatoris manifestum est. Ille fuit fortitudine incomparabili prædictus, qua omnes hostes devicit. Noster est verus Salvator, fortior ille, qui fortè armatum ligavit, exiit. Luc. 11. v. 2. Simson moriens plus nocuit hostibus, quam vivens. Ita morte Christi mors est exarmata, infernus destrutus, serpens caput contritum. Ille legalis ritus fuit Nazaræus ab utero: de Christo angelus dicit: Quod in ea natum est, ex Spiritu sancto est. Quod exte nascetur sanctum, filius Dei vocabitur. Ut autem ostenderetur figuram illam Simsonis in Christo impletam, vocandus erat Nazaræus sed ritum illum legalem non suscepit: à patria igitur vocatus est Nazaræus: & ita impleta sunt scripta Prophetarum, de vero Nazaræo significatio per legales Nazaræos.

Et hæc quidem sententia piac bona est: Sed quia Judæi Jesum appellantes Nazaræum scribunt per Zade נזֶר. Sicut & Pagninus, veram inscriptionem tituli crucis Domini ita habere,

ostendit, & in Syriaca etiam Novi Testamenti versione, per Zade Nazareth scribitur. Inde igitur alia Etymologiæ ratio & appellationis explicatio sumitur. Nam I. 1. v. 1. Messias vocatur נזֶר Nazer, surculus seu germén de radice I. 1. exurgens. Et alio vocabulo idem significante sanguis Messias vocatur זמָה Zemah, germen surculus seu tenella plantula, Jer. 23. v. 5. 33. v. 14. Zach. 6. v. 12. & 3. v. 8. Isa. 4. v. 2. ut itaque publica appellatione Jesus hic prædicaretur verum germen, seu surculus Davidis, de quo multi Prophætam multa vaticinati essent mirabili Dei dispensatione, à loco educationis publicè appellatus fuit Nazaræus, vel Hanozri germen illud, surculus ille Davidis. Et eruditæ sunt cogitationes eorum, qui existimant civitatem in tribu Nephatalim, quæ vocatur Hazor, vel en Hazor, Jos. 19. v. 37. Postea abbreviatione & deflexiohe quadam vulgo vocatam Nazor, unde Ebraico more facile fit Nazareth, quasi civitas germinis seu surculorum. Terram etiam & locum, quæ in Joshua vocatur Cinereth, vulgus postea appellavit Genesaret, sicut Josephus appellat, vel ut Evangelista Genezareth, quasi vallem surculorum. Atque ideo Jesus in Nazareth educatus, tam libenter ac tam multum in terra Genezaret, & circa lacum Genezareth versari voluit, ut ostenderet se verum esse germen seu surculum illud Davidi promissum. Hæc & erudita & pia sunt: & quia promissio illa de surculo seu germine Davidis in multis Prophætarum locis extat, ideo Matthæus dicit: (*ut impleretur quod dictum est per Prophetas, quod Nazaræus vocabitur.*) Et Matthæus quidem, Lucas & Johannes nomen illud scribunt ναζαρεὺς. Marcus vero Latina terminatione ναζαρεὺς. c. 10. v. 47. 14. v. 67. & 16. v. 6. Et Lucas semel etiam ita scribit c. 4. v. 34. Sed de ratione appellationis stagni Genezareth, quæ sit Judæorum sententia postea annotabimus. Hac igitur allegatione Evangelista voluit explicare, quale fuerit consilium Dei, quod puerum Jesum iussit educari non in regia urbe Hierosolymis, nec in civitate Davidis Bethlehem, sed in Nazareth.

C A P U T X V.

CONTINENS HISTORIAM, DE EDUCATIONE ET VITA JESU, A QUINTO ÆTATIS ANNO USQUE AD TRIGESIMUM: SIVE AD INCHOATIONEM PUBLICI MINISTERII,

Lucæ 2.

R A T I O O R D I N I S.

Matthæus Christum quadrimum reddit ex Ægypto in Galilæam, ad civitatem Nazareth, inde vero mox digreditur ad initium ministerii Johannis & ad baptismum Christi. Atque inde Marcus historiam suam ordit: sicut & Johannes post exordium ad testimonium Baptiste digreditur. Lucas vero contextum conjungit cum Matthæo, de reverione pueri Jesu in Galilæam, atque inter reverionem illam in Galilæam, & inter inchoationem ministerii Baptiste, interponit descriptionem

Harm. Tom. I.

de educatione & vita Jesu, usque ad susceptiōnem Baptismi, que anno trigesimo facta fuit. Hic igitur verus & proprius est hujus historiæ locus. Potest autem hæc descriptio distribui in tres partes: ut prima sit de educatione pueri Jesu à quinto Ætatis anno usque ad duodecimum. Altera sit de historia anni duodecimi. Tertia vero sit de vita Jesu ab anno duodecimo usque ad trigesimum, quo baptisatus ministerium suum publicè inchoavit. Atque hoc modo periochas explicacionis distribuemus: ipsam vero historiam uno capite comprehendemus.

M 3

HISTO-

HARMONIÆ EVANGEL.
HISTORIA DE EDUCATIONE ET VITA JESU, A
QVINTO ÆTATIS ANNO, USQVE AD TRIGESIMUM,
Luc. 2.

39. Ὡπέρεψαν (εὗ) εἰς τὴν Γαλιλαίαν, εἰς τὴν πόλιν αὐτῶν Ναζαρέθ.
40. Τοῦτο παύδιον ποζανε ἡ ἐκρητική πινέυματα, πληρούμενον Κοφίας. ηγάχαστος εἰς τὸν ἐπ' αὐτόν.
41. Καὶ ἐπέρευσθος οἱ γονεῖς αὐτοῦ κατῆ ἦν τοῖς εἰργαλήματι τῇ εορτῇ τοῦ πάσχα.
42. Καὶ στέρεψενε τὸν δάδεντα, ἀναβάντων αὐτῷ εἰς Ιεροσόλυμα κατὰ τὸ ἑθοῦς τῆς εορτῆς.
43. Καὶ πλειωπέντων τὰς ἡμέρας, εἰς τῷ ἡπερέφεντι αὐτές, ὑπέμενει Ἰησοῦς ὁ παῖς εἰς τεργαλήματα, καὶ εἴκασαν οἱ γονεῖς αὐτὸν.
44. Νομιζάντες δὲ αὐτὸν εἰ τῇ σπουδᾷ αἱ εἰναὶ, ἡλθον ἡμέρας εδον, καὶ ἀνέζητον αὐτὸν, ὃν τοῖς συγγενεῖσι, καὶ εὑρίσκοντες αὐτὸν, υπέρεψαν εἰς τεργαλήματα, ζητῶντες αὐτὸν.
45. Καὶ εἶπεν οὐρανός αὐτὸν, ὑπέρεψαν εἰς τεργαλήματα, ζητῶντες αὐτὸν.
46. Καὶ ἐγένετο, μεθ' ἡμέρας τούτης, ἐνρού αὐτὸν εἰς τοῖς οὐρανοῖς, ἐν μέσῳ τῶν οἰδηποτάλων, καὶ απέστολε αὐτὸν κατὰ ἐπεργαστήν αὐτῆς.
47. Εξετελεσθεὶς πάντεις οἱ ἀκόντιοι αὐτῷ, ἔπει τῇ σωματικῇ δύσκολοσιν αὐτῷ.
48. Καὶ ἴδοντες αὐτὸν ἐξεταζοῦσαν, καὶ τοὺς αὐτὸν ἡ μητήρ αὐτοῦ εἶπε. Τίκονος, οὐ επίτις τοῦ θεοῦ διέτηρε πάντα τὰ ρήματα ταῦτα, εἰ τῇ παρθενίᾳ αὐτῆς.
49. Καὶ εἶπε τοὺς αὐτοὺς. Τί ὅτι ἡμεῖς τε; μηδὲποτε, οπόν τοις διατρέχοντας μηδὲ εἰναὶ με;
50. Καὶ ἀντοῖ γε σωῆκαν τὸ ἥμισα ὁ ἑλάλησον αὐτοῖς.
51. Καὶ κατέβη μετ' αὐτῶν, καὶ ἡλθον εἰς Ναζαρέθ. καὶ λιγότερον ἀπό τοῦ Κατάλογοῦ αὐτοῖς, ἢ δὲ μητήρ αὐτοῦ διέτηρε πάντα τὰ ρήματα ταῦτα, εἰ τῇ παρθενίᾳ αὐτῆς.
52. Καὶ Ἰησὸς ταπείκοπτο Κοφία καὶ ἡλικία ἡγάχαστος θεῶν οὐδὲ αὐθρώποις.
39. Reversi sunt (ergo) in Galileam, in civitatem suam Nazareth.
40. Puer autem succrescebat, corroborabaturque spiritu, & implebebatur sapientia: & gratia dei erat super illum.
41. Et ibant parentes ejus quotannis Hierosolymam in die festo Pasche.
42. Et cum saeclo esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi.
43. Consummatusq[ue] diebus cum redirent illi, remansit puer Jesus Hierosolymis: & non cognoverunt parentes ejus.
44. Ceterum ratiō, illum esse in comitatu: venerunt innere diet; & requirebant cum inter cognatos, & inter notos.
45. Et cum non invenissent eum, reversi sunt Hierosolymam, querentes eum.
46. Et accidit post triduum invenerunt illum in templo sedenti, in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.
47. Superbant autem omnes qui eum audiebant, super intelligentia & responsis ejus.
48. Et viso eo admirati sunt, & dixit mater ejus ad illum: Fili, cur fecisti nobis sic? ecce, pater tuus & ego dolentes quarebamus te.
49. Et ait ad illos. Quid est, quod quarebatis me? an nesciebatis, quod in his, qua patris mei sunt, oportet me esse?
50. Et illi non intellexerunt sermonem quem loquutus est ip[s]i.
51. Et descendit cum eis, venitque Nazareth: eratq[ue] subditus illis. Mater autem ejus conservabat omnia verba hæc, in corde suo.
52. Et Jesus proficiebat sapientia & arata, & gratia apud Deum arguit homines.

Perioda Historia de educatione pueri IESU usque ad annum duodecimum.

Hactenus Evangelistæ, usque ad annum quartum, seu quintum perfecuti sunt historiam pueri Jesu. Quomodo vero in infantia & pueritia educatus fuerit, reliqui tacent, Lucas unicō tantum & quidem vulgari verbo describit, cum inquit: (Puer crescebat &c.) Et quia Evangelistæ hanc quasi legem scribendi perpetuò servant, quod ea que extraordinario modo Christo acciderunt, diligenter describunt, ea vero, in quibus nihil voluit à ceteris hominibus differre, vel silentio prætereunt, vel paucis & è media hominum consuetudine petitis verbis annotant: rectè hinc colligitur educationem pueri Jesu nihil habuisse extraordinarium, peculiare vel differens à communi puerorum educatione, quod quidem scire nostra referret. Sic ut, igitur, iuxta sententiam Pauli Phil. 2. v. 7. in reliqua vita; ita sine dubio etiam in educatione, in similitudine hominum factus, habitu inventus est, ut alias quispiam homo. Est tamen

jucunda consideratio eorum, quæ huc pertinente ex Scriptura colligi possunt. Illa igitur breviter annotabimus.

Luc. 11. v. 27. mentio fit uberum matris, quæ puer Iesu suxit. Et tempus ablactationis, Gen. 21. v. 8. ita describitur: quod Isaac ablactatus jam ludebat cum Ismaele. Et 1. Reg. 1. v. 24. Samuel ablactatus adducitur ad Tabernaculum, ut maneat ibi coram Domino. Expressius vero 2. Mach. 7. v. 27. mater septem fratrum dicit, Portavite in utero per novem menses, & lac dedi per triennium. Habet autem ablactatio in Ebraea lingua appellationem inde, quod tunc cibi & nutrimentorum fiat quædam mutatio in educatione. Ita Paulus 1. Cor. 3. v. 2. inquit, tanquam parvulis lac, yobis potum dedi, non escam. Ebr. 5. v. 12. illa mutatio vocatur solidus cibus. Et Deus ipse, Isa. 7. v. 15. educationem infantiarum pueri Iesu post ablactationem diligenter describit, cum inquit; Butyrum & mel comedet, ut sciat

ut sciat reprobare malum, &c. Hec enim ciborum genera fuisse in illis locis vulgaria, in eodem capite vers. 22. indicat. Butyrum & mel manducabit omnis homo, qui relictus fuerit in medio terræ. Et 2. Regum 17. vers. 29. varia ciborum genera recitantur: Sed inter hæc quæ fuerunt maximè vulgaria, nec nimium exquisita, butyrum & lac fuisse hinc intelligi potest, quod Genet. 18. vers. 8. peregrinibus proponitur butyrum. Et Jud. 5. vers. 25. similiter. Præcipue verò de cibis infantium ablactatorum inspiciatur locus, Ezech. 16. v. 13. ubi describit delicatiorem educationem, panem, similam, oleum & mel, quibus enutriti te. Messias igitur non simila & oleo, hoc est delicationi modo, sed pane, Butyro & melle, cibis vulgaribus, educatus est, juxta Isaiae descriptionem. Lucas verò de hac parte educationis, inquit (*Puer Jesus crescebat*) Quod verbum de nutritione & augmentatione corporis in pueris dicitur, Gen. 21. v. 8. Crevit puer, & ablactatus est, Jud. 13. v. 24. de Samson, crevit puer: Ita 4. Reg. 4. v. 18. Crevit puer. Quia igitur Lucas vulgari hoc verbo utitur, quo cap. 1. v. 80. Baptista educationem etiam descripsit. Significat ergo nutritionem & augmentationem (sicut vulgo loquimur) in pueri Jesu usitato modo, sicut in aliis pueris, factam esse.

Nec verò ratione corporis tantum, similis fuit ejus educatio reliquis pueris: sed de usu rationis & sermonis Isaiae idem de hoc pueri affirmit. Dicit enim cap. 7. v. 15. Butyrum & mel comedet ut sciat, &c. Item: priusquam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum. Quod non tantum de cibis convenientibus, aut palatum offendientibus dictum est, sicut quidam interpretantur. Eadem enim fermè verba extant, Deut. 1. v. 39. de parvulis, qui non sciunt bonum & malum, hoc est, in quibus propter ætatis infirmitatem, nondum viget usus rationis, sed progressu ætatis incipit se exercere. Ideo Isaiae inquit: Butyrum & mel comedet, ut sciat, &c. Idem cap. 8. v. 4. loquitur de filio Prophetissæ, cui tribuit hoc nomen, velociter spolia, detrahe, festina prædari. Et planè eodem modo, pueri hujus Prophetissæ tribuit ejectionem regis Samariae & Damasci: quo cap. 7. v. 16. filio virginis hac tribuerat. Non igitur commode de uxore vel filio Isaiae exponi potest. Adhibuit enim testes cum accederet Prophetissam illam. Obstat etiam supputatio 65. annorum, de quibus cap. 7. v. 8. Probabilis igitur est eorum sententia, qui de Maria & de pueri Jesu vaticinium illud interpretantur. Dicit autem, priusquam sciat puer sonare Abi & Imini, quæ prima sunt balbutientium infantium voces in lingua Ebraæ: Pater mihi, Mater mea. Et verè magna & inenarrabilis est humiliatio & exinanitio, quod verbum caro factum, ad has etiam balbutientes naturæ humanæ infirmitates sine peccato se demisit, cùm plenum esset gratia & veritate: imò cùm in illa carne divinitas habitaret corporaliter, & quidem omnes thefauri sapientiæ & scientiæ ibi essent depositi. Col. 2. v. 3. Hæc piè & reverenter cogitanda sunt.

Observetur autem, quod Lucas in descriptio-

Harm. Tom. I.

ne educationis pueri Jesu, talem ostendit differentiam. Quæ enim jam recensuimus pertinent ad physicas conditiones humanæ naturæ, quas unico vocabulo crescendi Lucas complectitur. Quæ verò addit: (*Corroboratione Spiritu, plenus sapientia, &c.*) Pertinent ad dona sive ad operaciones spirituales. Ita enim phrases, quæ extant in hac descriptione, usurpantur, Eph. 3. v. 16. Corroborationi per Spiritum in hominem interiorum: Act. 6. v. 3. Pleni spiritu & sapientia. Et Col. 1. v. 9. vocatur sapientia spiritualis. Ordo igitur hic videtur esse. Crevit puer corpore, & cœperunt se exercere naturales dotes animi, sive physicae animæ humanæ potentiae, &c. Et hæc pars descriptionis complectitur aliquot annos pueritiae Christi, forsitan usque ad 5. vel 6. annum: Postea Spiritus usque ad annum 12. (hæc enim descriptione præmittitur historia anni 12.) coepit talia quædam in puer illo documenta edere, quibus ostenderetur non esse gregarius puer. Hoc enim vult descriptio illa, quæ hoc loco apud Lucam extat (*Corroboratione Spiritu plenus sapientia, & gratia Dei erat super illum.*) Divinitatem scilicet in hoc pueri carnis infirmitate ita testam fuisse, ut ramen in ipsa pueritia etiam ante annum duodecimum, aliqua Spiritus vis & efficacia animadvertisse, que homines commonefaceret de futuro pueri hujus officio. Et ex collatione hæc sententia melius intelligetur. Cum enim puerilis etas aliás laborare soleat suis quibusdam virtutis: stultitia, ineptiæ, petulantia, &c. Lucas dicit talia in hoc puer non apparuisse. Sunt enim pars quædam corruptionis Originalis. Sed eorum loco dicit Lucas, in hoc pueri Spiritum sapientiam & gratiam Dei se exercuisse. Et Lucas de puer Johanne, eadem phrasim utitur, (*Corroboratione Spiritu, &c.*) illam ita explicat. Homines videntes manum Domini esse cum illo puer, posuerunt in corde suo dicentes: quidnam putas puer hic erit? Idem ergo de quodam excellentiori modo in pueri Jesu factum esse non est dubium. Descriptione autem Luca hæc est: (*Corroboratione Spiritu,*) hoc est, virtus & efficacia divinitatis coepit se sensim magis magisque, & subinde potentius exercere. Ideo Lucas vocat corroborationem Spiritus.

Forsterus confert hanc descriptionem ad historiam Samsonis. Quando enim in publica functione, in arduis negotiis, Spiritus suam virtutem in Samsonem, jam Judice, heroicis actionibus, declarat, usurpatum verbum נָבָל Zahal. De Samsonem verò juvener, cum præludiis quibusdam specimen ederet, qualis futurus esset, usurpatum verbum נָבָל Paam. Et hæc collatio aliquid affert lucis. Nectamen opus est, hæc prima Spiritus in pueri Jesu documenta, interpretari de puerilibus miraculis. Nam & de Johanne eadem phrasim usurpatur, qui tamen nullum signum fecit, Joh. 10. v. 41. Et Lucas videtur per epexegesim explicare qualem corroborationem Spiritus intelligat. Subjicit enim: (*Plenus erat sapientia & gratia Dei erat super illum.*) Nam & post annum 12. hæc duo repetuntur, sapientia & gratia. Quod verò sapientiam spiritualem, quæ Coloss. 1. vers. 9. describitur, Lucas intelligat, subjecta historia ostendit de specimine, quod

M 4

anno

anno 12. edidit in templo: quod scilicet, cum literas non didicisset, spirituali tamen de rebus divinis sapientia ultra etatem, quaerendo & respondendo excelluerit. Quia vero specimen illud, quod anno 12. Christus edidit, ideo descriptum est, ut significetur, inter reliqua pueritiae & adolescentiae ejus gesta hoc praecipuum fuisse & excelluisse, facile potest colligi, prima illa documenta, quae Spiritus in pueru Jesu coepit edere, non fuisse tam illustria, ut in omnibus oculos incurrent, sed magna humilitate fuisse tecta, ut a filiis hujus seculi vix animadverterentur vel obserarentur. Sicut ex narratione Nazarethanorum, Matth. 13. v. 54. Marc. 6. v. 3. colligitur. Quid vero Maria inde observaverit, poltea in Cana Galilaea ostendit.

Usitata autem phrasis est (*plenum esse intelligentia sapientia, &c.*) 3. Reg. 7. v. 14. & Act. 6. v. 3. sed Lucas vocat non πληρός sed πληρούμενος, quod est participium passivum presentis temporis; cumque Latinè una voce reddi non possit, sensus est, sicut Paulus mysterium hoc explicat Col. 2. v. 9. cum tota plenitudo divinitatis in Christo corporaliter inhabiteret, cumque omnes thesauri sapientiae & scientiae in ipso sint πληρούμενοι, quod πληρωμα illud & thesauri illi, progressu etatis sensim magis magisque in externis patefactionibus cœperint exercere, & aliquando supra etatem illustrios radios, salva tamen exinanitionis dispensatione, proferre ac habitualia etiam (sicut scholæ loquuntur) dona subinde majora in sumptam humanam naturam derivare.

Quod vero dicit de (*gratia DEI, &c.*) similis planè phrasis est, sicut illa, quam in historia Si-moneonis explicavimus: Spiritus sanctus erat super ipsum, ut non de communi gratia intelligatur. Cumque χάρις significet & gratiam & donum, per gratiam, vocabula in hoc loco ita possunt restringi ut ωφέλια significet dona in mente seu intellectu: χάρις vero significet dona in reliquis anima viribus, in sermonibus, gestibus & actionibus, quibus omnibus addita fuit peculiaris divina gratia: ut sensus sit, quod puer hic omnium oculos & animos in favorem, in gratiam sui converterit, non vulgaribus humanis dotibus, sicut aliquando in puerili etate fieri solet, sed ob divinam quandam gratiam in sermonibus, gestibus & actionibus pueri hujus, supra etatem effulgenter. Unde puer hic amabilis, gratus & acceptus fuit, non tantum cognatis & notis, sicut historia anni duodecimi ostendit, nec tantum quod in templo sapientia questionum & respon-sionum omnes doctores in admirationem, immo quasi in stuporem, convertit: sed quod inde animadvertebatur, puerum hunc divina gratia ipsi DEO singulari ratione gratum & acceptum est. Et hoc est quod Lucas dicit: (*Plenus sapientia & gratia Dei erat super illum.*) Et tamen ostensio illa divinae sapientiae & gratiae, humiliatione & exinanitione ita fuit tecta, ut Nazarethanorum intentibus faciliter excederit, Matth. 13. v. 54. Marc. 6. v. 3. Atque haec brevis est quasi adumbratio educationis, & vitae pueri Jesu, usque ad annum duodecimum.

Periodica Historia, de anno CHRISTI duodecimo, Lucæ 2.

Dictum est de educatione. Qualis vero fuerit institutio pueri JESU, ex hac historia colligi potest, qua ratione gravissima excitat, acut, commendat & sanctificat diligentiam parentum, in educandis, instituendis & custodiendis liberis. Duplex autem fuit institutio puerorum in populo Israel. Una fuit generalis, qua domi a parentibus, Exod. 12. vers. 26. Deut. 4. vers. 10. & 6. vers. 7. in capitibus doctrinæ coelestis instituebantur, & progressu etatis parentes eos ad Synagogas, ubi Sabbatis Moës & Prophetæ legebantur, Actor. 13. vers. 27. & ad ipsum templum in solennioribus festis secum adducebant: sicut haec historia ostendit.

Altera fuit eorum, qui præceptoribus in scholis in lege erudiendi tradiebantur, & vocabantur Prophetæ & Prophetarum filii, 1. Reg. 10. vers. 5. 10. 4. Reg. 2. vers. 3. & 4. v. 38. Actor. 12. vers. 3. 2. Tim. 3. vers. 15. Fuerunt autem Hierosolymis, multæ excellentes scholæ, Actor. 2. vers. 9. & 10. & 6. vers. 9. quarum numerum Rabini dicunt fuisse ultra 400.

Puerum igitur Jesum posteriori hac institutione usum non esse, ipsi Judæi testantur, Joh. 7. 15. Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Id que factum est ideo, ut cum majori miraculo

postea doceret, non institutus a præceptoribus, sed unctus a Spiritu sancto. Utque testimonium esset, Christum doctrinam suam non ab hominibus accepisse: sed è sinu patris protulisse Joh. 1. vers. 18. Hanc enim rationem ipse reddit, Joh. 7. vers. 16.

Mariam vero matrem & Josephum nutritum, non neglexisse in hoc puerò domesticam institutionem, hac historia testatur. Post reditum enim ex Egypto quotannis ad festum Paschæ ascenderunt Hierosolymam, juxta institutionem legis: qua Exod. 34. vers. 23. omne masculinum jubet ter in anno apparere coram domino, in illo loco, ubi tabernaculum fœderis esset, in festo scilicet Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorum. Et in duobus quidem posterioribus festis, illis, quorum habitatione remotior erat, indulgentia legis parcerat. Ideo Lucas mentionem facit Paschæ tantum. Et cum masculi tantum illo legis præcepto obligarentur: Exod. 34. vers. 23. Mariam tamen zelo pieratis se Jósepho, eo proficisciensi, semper comitem adjunxit. Verisimile autem est, parentes forsan ad illud festum puerum Jesum etiam ante 12. annum secum duxisse. Lucas enim non dicit: quod illo anno primum duxerint eum secum, sed quod nunc reman-

remanerit Hierosolymis. Et circumstantia illa, quod existimant ipsum esse in comitatu, inter cognatos & notos, videtur significare, quod antea fuerit in comitatu illo cognitorum & notorum proficiscentium ad festum. Fuisse enim insignis negligentia, si in prima profectione non melius observasset puerum. Conjecturam igitur illam de comitatu, ex iis, quæ prius acciderant, videntur collegisse. Nisi quis malit hanc rationem sequi, quod regnante Archelao, non ausi fuerint puerum in Iudeam adducere. Quod congruit cum eo, quod Matthæus scribit cap. 2. verl. 22.

Quid autem puer Jesus, quando etiam ante annum 12. simul cum parentibus ad festum profectus est, egerit, inde potest colligi, quod parentes reversi Hierosolymam, amissum puerum quarun, non in plateis, nec alibi, sed in eo loco ubi Doctores supra Cathedram Mosi sedentes doctrinam Prophetarum profitebantur. Licet igitur doctrina in templo multis corruptelis erat corrupta, multa etiam in cultibus depravata, quia tamen Mosis & Prophetarum scripta legebantur, & externi ritus sacrificiorum juxta legem servabantur, pii huic cultus se conjunxerunt, cum nondum colligi ceperit, prædicatione Evangelii, Novi Testamenti Ecclesia. In Maria vero peculiaris fuit causa: cum sciret, se adducere illum puerum, qui ut dominator ad templum illud venturus. Mal. 3. v. 1. & domum istam gloria impleturus esset, Hag. 2. v. 8.

Quod vero domi etiam privatum parentes cum hoc puer oculo verbo Dei colloquia habuerint, primum ex præcepto Legis præsumitur. Si enim illud Exod. 34. v. 23. quod operiosus & difficilis est, observarunt: non dubitandum est ipsos ea, quæ Exod. 12. v. 26. Deut. 4. v. 10. & 6. v. 7. præcipiuntur, in domestica pueri institutione quoque secutos esse. Deinde in hac historia idem licet obscurius proponitur. Ita enim puer respondet parentibus, (*An non sciebatis, quid in his, que patris mei sunt oporteat me esse?*) Et quia hæc phrasis significat antea inter ipsos de hisce rebus tractatum fuisse. Eadem enim phras Rom. 6. v. 3. de doctrina Baptismi antea proposita utitur, cum inquit: An ignoratis, &c. Verba igitur illi videntur respicere ad colloquia, quæstiones & responsiones, quæ domi inter parentes & puerum de officio Messiae, licet non tam clare & profunde, sicut puer in templo loquitur, agitata fuerunt. Voluit igitur puer Jesus suo exemplo, & comprobare & sanctificare, tum domesticam pædagogiam seu institutionem puerorum, tum publicam eorum deductionem & adhibitionem ad conventus Ecclesiasticos; cum quidem ipse tali magisterio non indigeret.

Porrò de eo, quod Lucas dicit: (*Exsistaverunt puerum esse in comitatu.* Item: *Quæseruerunt ipsum inter cognatos & notos, &c.*) quidam ita dispertarunt: quod mos fuerit, non simul, sed separatum viros, & separatim mulieres proficiisci: ne scilicet vel solo comitatu mulierum contaminarent euntes ad festa. Pueros vero impuberes, potuisse cum alterutro parentum proficiisci. Ut ita alter parentum putarit, puerum esse in co-

mitatu alterius. Sed judico commodiùs ita posse exponi, ut referatur ad rationem institutionis seu indolis hujus pueri. Non enim ea ejus indoles fuit, ut velut *μονάρχας* hominum consuetudinem fugeret, cognitorum & notorum piam familiaritatem, propter morositatem vel pecculantiam, comparare & tueri vel non vellet vel non posset. Sed quia parentes securi, proficiuntur hac persuasione, quod existimant cognatos & notos, qui erant in comitatu, puerum habere fibi adjunctum, rectè inde colligitur, puerum JESUM cum cognatis suis sèpè familiariter conversatum esse. Et quidem talem fuisse dexteritatem & gratiam in puerili ejus conversatione, ut notitiam & familiaritatem ejus, præter cognatos, multi etiam alii experient & amarint. Ideo enim Lucas distinctè nominat (*cognatos & notos.*) Et *ονοδια* significat comitatum eorum, qui simul eandem profectionem suscepunt, & idem iter ingrediuntur, ut Act. 9. v. 7. de comitibus Pauli: ubi alii possunt præcedere, alii aliquantò subsequi. Neh. 7. v. 5. Græci usurpant de illis, qui ejusdem genealogiæ simul proficiuntur. Ostendit etiam hæc historia talem fuisse pueri hujus indolem: ut parentes nihil de ipso puerint solliciti, quando sciverunt eum esse apud cognatos & notos. Et probitas illa pueri etiam hoc efficit, ut parentes in ejus observatione aliquantò essent negligenter, cum Hierosolyma discederent. Origenes existimat ita remansisse Hierosolymis, parentibus non advertentibus: sicut postea Luc. 4. v. 30. per medium Nazarethanorum transit, ipsis non sentientibus. Sed nos de institutione pueri pergeamus dicere.

Illud igitur, quod Lucas antea dixit: (*Corrobatur spiritu, plenus sapientia, & gratia Dei erat super ipsum.*) Et postea, (*Profeuit sapientia & gratia,* &c.) ita intelligatur, quod non domi tantum parentes, verum etiam cognati & noti, apud quos conversabatur, animadverterint efficaciam spiritus exerentem se peculiari & excellentiore ratione, quam pro ætate & pro humana ratione, in hoc puer. Quales vero fuerint heroici illi motus spiritus, historia anni duodecimi ostendit, cum inquit: (*Stupebant super intelligentia, interrogacionibus & responsis ejus.*) Hæc est tutissima interpretatione, quæ fundamentum habet in narratione Evangelistæ. Conjecturæ enim de miraculis pueritiae Jesu, carent Scripturæ testimonio.

Hæc de institutione pueri JESU, ex circumstantiis hujus historiæ colligere volui. Et quia pius animus desiderat aliquid scire de educatione & institutione hujus pueri: hinc partim ex conjecturis, partim sub titulo traditionum & revelationum, multæ narrationes de infantia & pueritia Salvatoris excogitatae sunt, quas vetus Ecclesia, non sine causa, inter apocrypha scripta rejicit. Sed hæc, quæ annotavimus, quia ex certis Scripturæ circumstantiis, non obscurè colliguntur, ideo gratiora sunt, & possunt utilia esse ad ædificationem. Illis autem contenti esse debemus. Si enim plura scire, nostra ad pietatem referret, Deus sine dubio in Scripturæ nobis patefecisset.

Reliqua est illa pars historiæ, quæ describit, quale

HARMONIAE EVANGEL.

142

quale tyrocinium futuri officii puer JESUS, anno ætatis duodecimo, ediderit Hierosolymis in templo, cum sol ille justitia radiolos aliquantò clariores ex carne assumpta, quam hactenus factum fuerat, exereret. Pleraque autem circumstantiae jam antea explicatae sunt. Remansit igitur puer Jesus Hierosolymis. Ad illud enim tempulum legatus Testamenti venturus erat, & purgaturus filios Levi: & in illa urbe, ubi in festo Paschatis sanguis agni Paschalidis fundebatur, victimæ sui corporis ob-signaturus erat Novum Testamentum, ut abrogato Levitico cultu Domino offerrentur sacrificia, in justitia, Malach. 3. vers. 2. 3. 4. Et quia illo ipso planè tempore, postea Christus primum publicè coepit in templo docere, Joan. 2. vers. 32. & postremo illo etiam tempore obtulit se Hierosolymis, in cruce, victimam in odore suavitatis Deo; Ideo ad festum Paschatis, editurus primum officii sui, post inchoandi, tyrocinium, ascendit. Non tamen tunc, cum in ipso festo celebris illa frequentia populi aderat, sed cum plerique jam discesserant, specimen futuri officii sui exhibuit. Quia nondum erat tempus publicæ manifestationis.

Tertiò igitur die, post festum Paschatis, à parentibus inventus est puer Jesus, in templo sedens, in medio Doctorum. Erant enim ad tempulum peculiaria quædam conclave, sive camera, sive cubicula appellantur, extructa, in quibus vestes, donaria & vasa sacra reponebantur: in quibus etiam sacerdotes tempore vicis sua cubabant. Neh. 10. v. 39. Ezech. 40. v. 17. Ebraicè vocatur locus talis **לִשְׁכָה** Lischkah quod vocabulum à Græcis varia redditum est, Ezech. 40. v. 17. vocatur **εἰσέδρα**, Ier. 35. v. 2. **αὐλὴ**, & v. 4. **τάπεστος**. Et hæc appellatio extat etiam 1. Mac. 4. v. 38. Jer. 36. v. 10. vocatur **οἶκος**. 4. Reg. 22. v. 11. vocatur **χαρακός**, & ita translatum est etiam Esd. 10. v. 6. & Neh. 13. v. 5. Ethanc appellationem Gazophylaciis Evangelistæ in eadem significatione usurpant in Novo Testamento Marc. 12. v. 1. Luc. 21. v. 1. Joan. 8. v. 20. Hieronymus etiam in Latina translatione vocabulum illud retinuit. Porro, in illis Gazophylaciis, solitos convenire sacerdotes & populum, Doctores & discipulos, ad lectionem & interpretationem Scripturæ colligitur, ex 36. cap. Jer. v. 20. Baruch enim in Gazophylacio Scribæ Elisamæ legit prophetiam Jeremie, audiente omni populo. Et 4. Reg. 16. vers. 18. impius Achaz scribitur è domo Domini removisse Musach: quod eruditæ interpretantur, pro tabulato, in quo sedebant Doctores interpretantes Legem & Prophetas: & quæ fuerit forma hujus quæsi suggesti, sicut vulgo vocatur, ex cap. 8. v. 4. Nhem. colligi potest. Et Christus Marc. 13. v. 41. & Joan. 8. v. 20. In Gazophylacio in templo sedet & docet. Et Joh. 18. v. 20. dicit, Docui in templo, ubi omnes Judæi conveniunt.

Hæc de auditorio, quod Hierosolymis fuit circa templum, (Evangelistæ dicunt, fuisse in templo. Omnia enim ædificia templo adjuncta, aliquando vocantur templum) ideo annotavi, quia ratio exercitorum in conventibus Ecclesiasticis inde colligi potest. Paulus enim 1.

Cor. 14. ostendit duplices fuisse conventus Ecclesiasticos. Quosdam vulgares, seu universæ multitudo communes: In quibus conveniebant Sacerdotes & populus: legebatur Moses & Prophetæ, Act. 13. v. 27, & lectionis explicatio ad exhortationem convertebatur, Act. 13. & 15. Et post auditam explicationem Scripturæ, mittebantur munera in Gazophylacium, ad sustentationem ministerii & pauperum, Marc. 12. v. 41. offerebantur sacrificia: Populus hora incensi orabat, Luc. 1. v. 10. Cantores psallebant, 1. Par. 25. v. 1. Alii vero peculiares fuerunt conventus, quando Doctores cum discipulis suis, quos scholastica, quasi institutione formabant, conveniebant. Et licet Christus tali scholastica institutione noluerit informari, Joan. 7. v. 15. propter causam supra expositam: tamen suo exemplo & comprobare & sanctificare voluit congressus illos, quos vocamus Scholasticos & Catecheticos. Talem enim fuisse hunc congressum, existimo. Et ratio illius institutionis breviter hic, sed pulcerimè describitur. Discipuli 1. Audiebant, 2. Interrogabant, 3. Respondebant. Sedebant autem discipuli ad pedes Doctorum, Act. 22. v. 3. Sed puer Jesus sedet in medio Doctorum: quod ita factum existimo. Cum ex questionibus, quas puer Jesus hic proponebat, & responsionibus, quas interrogatus dabat, Doctores animadverterent in eo scientiam, supra illam atatem, & plus quam humana, receperunt ipsum in medium fuisse, ut proprius cum ipso conferre & diligentius animadvertere possent sapientiam ejus, in quaeroendo & respondendo. Et specimen illud, quod puer Jesus ibi edidit, fuisse divinum & admodum eximum, Lucas ostendit, cum inquit: Doctores omnes, non simpliciter admiratos, (sed ob stupefactos,) hoc est, præ admiratione quasi extra se raptos fuisse super scientia, plus quam humana, quam in pueri illius interrogationibus & responsionibus animadvertebant. Utitur enim verbo **εἰσέστητο**, quo Septuaginta, Gen. 42. v. 18. reddiderunt Ebraismum illum, Egressum est cor eorum.

In quibus autem doctrinæ coelestis articulis, puer Jesus sapientiam suam, interrogando & respondendo, ad stuporem usque audientium ostenderit, Lucas non explicat: nisi quis verbum illud, quo matris respondeat, huc referre velit: (*In his que patris mei sunt, oportet me esse:*) sicut postea explicationem hujus sententiae ostendemus. Verisimile autem est, fuisse præludia disputationum de illis articulis, de quibus ipsi postea, toto tempore ministerii sui, certamina acerrima fuerunt, cum Doctoribus templi. Certum enim est, voluisse ipsum in disputatione anni duodecimi tyrocinium exhibere, futuri sui officii Mal. 3. v. 3. de purgandis filiis Levi. Fuit ergo sine dubio specimen ejus doctrinæ, quam postea traditurus era, veras sententias explicando & corruptelas refutando: ut de persona & officio Messiae: de discrimine legis & Evangelii: de vero cultu Dei, in Novo Testamento; de abrogatione ceremoniarum Leviticarum: de traditionibus Pharisæis, &c. Nec dubium est, puerum JESUM, cum audiret ipsorum usitatos Peruschin, ornatos hoc titulo, dictum est antiquis, Matth. 5. interrogando modestè monitrâsse, quod cum verbis

verbis & cum perpetuo sensu Scripturæ non consentiant. Et quia tanta evidētia hoc faciebat, ut Doctores contradicere non possent, data fuit ipsi occasio, respondendo illustrare sententiam doctrinæ propheticæ. Simul autem conjuncta fuit sapientia & gratia: ita ut omnes obstupescerent. Qui autem fuerint Doctores illi, ex his, quæ supra annotavimus, de Scribis, Pharisæis & Legisperitis & Doctoribus Legis, colligi potest.

Oltendit igitur puer JESUS hoc tyrocinio, fore, ut refutatis corruptelis doctrinæ Pharisaicæ, abrogatu cultu Levitico, & rejectis hominum traditionibus, sana doctrina & verus cultus Novi Testamenti per suum ministerium instauratur. Et congruit, prodigium idem significans, quod eodem tempore accidit, sicut Scholastica histioria ex Josepho recitat: quod sub præside Coponio, qui post relegatum Archelaum gubernationi Iudææ ab Augusto præfectus est, die azymorum inventa fuerunt ossa mortuorum, per totum templum & omnes porticos dispersa. Josephus vult, Samaritanos, per subterraneos cuniculos templum ingressos, hoc fecisse. Sed sine dubio divinum fuit prodigium, idem significans, quod tyrocinium illud pueri JESU: abrogationem scilicet cultum Leviticorum. Sic ut igitur in Samsone, qui bello liberatus erat Israël, Spiritus edidit tyrocinium in castris Dan, peculiari stratagemate militari, Jud. 13. vers. 25. Ita puer JESUS futuri sui officii specimen edidit in templo, sapientia in docendo, quarendo & respondendo: ut tyrocinium ipsi officio responderet. Prædictum siquidem erat, fore, ut MESSIAS federet super solium Davidis: sed cum primum regni sui specimen edit, invenitur sedens in medio Doctorum.

Ita ergo radios divinitatis sua aliquantò clariores quam antea, puer JESUS anno duodecimo ostendit Doctoribus in templo. Et sine dubio celebris tunc fuit fama de hoc puerō. Sed cum postea tale specimen amplius non ederet, imo non inter doctos, sed privatus apud fabrum in civitate Nazareth viveret, evanuit quasi ex hominum memoria.

Porrò, eodem etiam tempore parentibus suis clarius, quam antea cœpit ostendere rationem futuri sui officii. Cum enim antea simile non fecisset, inscius jam parentibus remansit Hierosolymis: sicut & postea de iis, quæ ad officium suum pertinent, ad matrem inquit: Quid mihi & tibi mulier? sicut Levitæ buntur Deut. 33. v. 9. parentibus dicere: Nescio vos. Et parentes videntes in medio Doctorum sedere, & cum obstupefactione audiri illum puerum, cuius humilationi & exinanitioni iam assueti erant, ἔξελαγονται, id est, admiratione perculsi, & quasi attoniti facti fuerunt, inquit Lucas. Maria vero verbo ὁδίνεθαι (Syrus reddidit ἡγέτη, quod significat, quando quis peccatum tundit & plangit super cor) exponit, quanto cum dolore ab ipsis triduum qualitus fuerit. Primo enim die, cum Hierosolymis discesserint, confecto itinere diei, vesperi puerum inquisiverunt, & non invenerunt. Altero die, redierunt Hierosolymam. Ac sequenti, hoc est, tertia die demum invenerunt

ipsum in templo. Et hoc vocat Lucas μέτρα, hoc est, [post tres dies.] Nam & Iudei illam phrasin [post tres dies,] intelligunt & exponunt usque ad tertium diem, Matth. 27. vers. 63. Et octo dies consummati, significant octavum diem, Luc. 2. vers. 21. Dolor autem ex amissionis opinione inde orrus fuit. Meminerant enim, quam serio ipsis demandata fuerat cura hujus pueri: cum propter perfezionem Herodis in Agyptum fugiendum esset, & postea indè redeundum. Timebant ergo, ne forte ipsorum culpa & negligētia, in hostium manus incidisset: vel potius, quia noverant, qualis esset puer, verebantur, ne DEUS, sua culpa promissam salutem, amissionē Messiae, mundo redimendo subtraheret. Ideo mater inquit: [Fili, quid fecisti nobis sic?] Puer vero volens ostendere, in negotiis officii sui, non esse locum maternæ, seu humanae auctoritati, duriusculè respondet, modestè tamen, ita, ut ostendat, se non venisse in hunc mundum, ut Matris Mariae & Josephi nutriciū negotiis obeundis semper occuparetur, sicut fecerat ad annum duodecimum, & postea usque ad tricesimum annum: sed significat, se habere alium patrem, cœlestem scilicet. Cum enim Maria dixisset: (Pater tuus & ego,) ipse de alio suo patre cœlesti loquitur, & addit: se venisse in hunc mundum, ut in illis sit, quæ patris cœlestis sunt. Et quæ illa sit, hoc suo tyrocinio ostendit: scilicet non principaliter illa, quæ in sustentatione & administratione mundi DEUS operatur: sed quæ in templo, juxta verbum DEI, & agebantur & significabantur: seu, quæ DEUS speciali actione in Ecclesia operatur.

Phrasis autem: (Oportet me in his esse,) intellegi potest, ex illo Pauli, 1. Tim. 4. vers. 15. Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus fiat omnibus. Observetur autem in hoc dicto obiter pulchra descriptio Mediatoris, qui missus est, ut in his, quæ Patris cœlestis sunt in Ecclesia, perficiendis & gubernandis occupetur. Monemur etiam, tractationem & auditum verbi DEI, insigni hoc elogio ornari: jam audiendo, quarendo, respondendo, sum in iis, quæ patris cœlestis sunt. Est etiam doctrina generalis. Obsequium, quod DEO Patri cœlesti debemus, parentum & omnium superiorum mandatis, & amicorum querelis esse præferendum. Et cum puer inquit: (Num ignorabaris?) commonefacit matrem eorum, quæ de persona, & de officio suo, ex Scriptura, ex revelatione Angelorum, ex narratione Pastorum, Magorum, Simeonis, Hanna, & ex colloquiis hujus pueri, antea obscurius intellexerant. Sed hactenus, tam clara & tam manifeste, tali sapientia, de tantis mysteriis, non audierant ipsum loquentem. Animadvertisit igitur, in paucis illis verbis, multa ardua mysteria comprehendendi: quæ tamen (non satis intelligunt.) Quod enim quidam, in gratiam Mariæ, de Doctoribus, & de aliis interpretantur, quod ipsi hæc verba non intellexerint, peregrinum est. Nec vero ideo, verba hæc non satis intellecta, abjiciunt: sed (Maria illa conservat in corde suo:) utili exemplo, quomodo & Scripturæ mysteria, quæ captum nostrum sup-

superant, tractanda sint. Omnia enim dictum illud, (*in his que Patris mei sunt, oportet me esse,*) multa complectitur, ut non mirum sit, Mariam tunc non potuisse omnia plenè intelligere. Quæ enim in templo & agebantur, & significabantur, Patris cœlestis sunt: & in his, dicit puer Jesus, officium suum versari. Sunt autem hæc: 1. docere; 2. pro populo intercedere; 3. sacrificare; 4. populo benedicere. Et Maria sciebat, quod Ebræ-

or. 7. v. 13. postea scriptum est: Ex tribu Juda nullus unquam altari asfit. Non igitur satis intelligit, quomodo in his quæ Patris cœlestis sunt, puer hic futurus sit. Et quod infesto Paschatis amissus, post triduum demum inventur, significatio quædam fuit passionis & resurrectionis, sicut Ambrosius non ineptè colligit. Hæc igitur est historia, quomodo puer Jesus anno atatis 12. specimen officii sui ostenderit.

Periocha Historiae, de gestis reliquæ ætatis Christi, ab anno duodecimo usque ad annum trigesimum.

Historiam publici ministerii & officii Christi, ad quod à Patre missus erat, Evangelista diligenter & copiose describunt. De octodecim vero annis, historiam, à duodecimo usque ad trigesimum, duobus versibus Lucas absolvit: reliqui vero Evangelistæ prorsus prætereunt. Et hac ipsa præteritione, vel descriptionis brevitate, significant: vixisse hunc puerum, excepto peccato, ut alium quempiam, non filium viri, sed filium hominis, sicut Scripturaloquitur, sumta non Domini, sed servi forma. Ne vero, sicut Ebionites finixerunt, tunc primum cùm Spiritus columba specie super ipsum descendit, exsisteretur divinitatem accepisse: sicut haec tenus Lucas usque ad annum duodecimum, ita nunc ab anno duodecimo usque ad trigesimum describit, quod ante incoationem ministerii, subinde radios quosdam divinitatis suæ exeruerit, talibus documentis, qua futuri officii ejus tyrocinium essent, & tamen mensuram exinanitionis non excederent. (*Profecit, inquit, sapientia & gratia.*) Dictum autem est supra, quod illam sapientiam intelligat, cuius specimen edidit anno duodecimo. Et illa plenus fuit ante annum duodecimum, sicut inquit, (*Plenus erat sapientia,*) Luc. cap. 2. verf. 40. Adsuit etiam sermonibus, moribus & omnibus actionibus ejus singularis quædam & divina gratia, etiam ante duodecimum, annum, quæ hominum mentes excitaret, ut cogitarent, (*sicut de Baptista Lucas dicit:*) *Quis putas puer, hic erit?* post annum vero duodecimum dicit Lucas, (*Puerum Jesum illa sapientia & gratia*) quæ in ipso antea ostensa fuerat, (*profeceisse, non tantum coram hominibus, sed & coram Deo.*) hoc est, excellentiori & divino modo, sicut de puer Samuele haec phrasis usurpatur. Sensus igitur est: sapientiam in dictis, & gratiam in vita & actionibus ejus, progressu ætatis subinde illustrioribus documentis cœpisse, se exerere: sed qua exinanitionis humilitate ita temperarentur, ut à vulgo non latime animadverterentur. Non igitur cogitandum est, quod ante incoationem publici ministerii planè nihil ex ipso auditum sit, de doctrina cœlesti & officio ipsius, aut quod in vita & actionibus ipsius nihil eximum aut peculiare animadverti potuerit. Sed ex illis, quæ supra in descriptione educationis & institutionis, & præcipue in historia anni duodecimi, de sapientia & gratia hujus pueri dicta sunt, cogitari poterit, quo-

modo post annum duodecimum profecerit sapientia & gratia.

Semper autem addenda est consideratio, de adjuncta humilitate summa exinanitionis. Et non est dubium, fuisse primum magnam spem & expectationem, de hoc puer, omnium, qui ipsum noverant, propter ostensiones illas sapientia & gratia: sed quia summa exinanitione radioli illi divinitatis, quasi obscurati, mox rufus obruebantur: & præcipue, cum egressus annum trigesimum concitata expectationi non videretur respondere, sed privatus in plus quam vulgari genere vita, usque ad annum trigesimum versaretur, vulgo à notis contemni cœpit, Marc. 6. verf. 2. Maria vero, Joseph & alii pii, aliquid homine majus, ex illo profectu in hoc puer animadverterunt: sicut Maria in nuptiis ostendit. Et talis fuit ostensio divinitatis in CHRISTO ante publicam incoationem ministerii: in profectu scilicet sapientia & gratia, non tantum politicè coram hominibus, sed & coram DEO, hoc est, excellentiori & divino modo.

Quare autem hic solet, annè specimen aliquod miraculorum ante annum trigesimum ediderit? Et tria potissimum argumenta sunt, quibus videtur hoc probari posse: 1. Sicut specimen futuri sui officii in docendo edidit; idem etiam, de miraculis factum esse, verisimile videtur. Summa enim ministerii hæc est: cœpit facere & docere. 2. Ne videretur tunc primum virtutem miraculorum accepisse, cum in Baptismo Spiritus super ipsum descendit: verisimile est, puerilia quasi quædam miracula præcessisse. Hoc est Epiphanius argumentum, contra Alogos. 3. Quia in nuptiis Maria filio obliqua petitione insinuat: vinum non habent, Et ministris inquit: *Quicquid dixerit vobis, facite.* Videtur ergo, antea domi miracula quædam in rei familiaris penuria à filio edita vidisse, ut si non publicè, domi tamen quædam, si non miracula, tamen mirabilia, vel miraculus similia fecisse, videri possit.

Et sane argumenta hæc non sunt levia, nec contemnenda: si conjecturis non absurdis, sed verisimilibus, aliquid in hac questione tribendum esset. Nec periculum fidei est, si quis non prætracta asseveratione, sed probabili conjectura, has cogitationes sequatur: quod principium quidem lignorum, incoato jam ministerio Christi, pu-

sti, publicè facta sit in Cana: præcessisse tamen mira quædam, quasi præludia privatim in actionibus quibusdam pueri Jesu. Tūtius tamen existimō esse, si intra terminos eorum, quæ in Scriptura patefacta sunt, nos contineamus; quæ illa, quæ aliquo modo extraordinaria fuerunt, in puerō Jesu, annotavit, de puerilibus verò & privatis ipsius miraculis nihil dicit. Dicamus ergo, sicut ad simile argumentum Hieronymus ad Helvidium respondet: Quod specimen futuri sui officii docendo ediderit, credimus, quia legimus: de miraculis ante annum trigesimum, non legimus: Ergò nec asseveramus, nec credimus. Et Thomas citat sententiam Gregorii: absquæ ostensione alicujus famosi & publici miraculi, ita inter homines conversatus est, quasi esset unus ex illis. In hac etiam sententia Chrysostomus est super Johannem, qui addit, quod judico simplicissimum esse: miracula quidem ante trigesimum annum nullum edidit: in sermonis tamen sapientia, in gratia vita & actionum, mira quædam apparuerunt, unde judicari poterat, & esse & fore ipsum mirabilem. Et inde Maria in Cana Galilææ, de miraculis, per filium in ministerio edendis, aliquid præsumere potuit. Hæc Evangelistæ verbis contentanea sunt, & ex illis manifestè colliguntur, quales scilicet divinitatis suæ radiolos, sub obscura illa extremæ exinanitionis quasi nube, Jesus exeruerit usque ad annum trigesimum. Duo enim capita ponit Lucas, (*Sapientiam scilicet & gratiam,*) in quibus cum dicit ipsum profecisse, indicat institutam collationem: 1. Quomodo ante annum duodecimum fuerit plenus sapientia, & gratia Dei fuit super ipsum. 2. Quomodo anno duodecimo ejus sapientia & gratia publicum specimen ediderit in templo, 3. Quomodo post annum duodecimum in his profecerit.

Alterum autem membrum de exinanitione, Lucas vulgarib⁹ planè verbis describit: ut ostendat, talem fuisse vitam, tales actiones Jesu usque ad trigesimum annum, sicut Paulus inquit, Phil. 2.v.7. Forma servi sumta, in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo. *Ωμίανα* enim significat confirmatatem vitæ, in operationibus naturalibus, cum reliquis hominibus, sicut 1. Cor. 15. v. 49. dicimus, gerere imaginem terreni. *Σχῆμα* significat actiones in convictu & conversatione cum hominibus. Nam 1. Petr. 1.v.14. vocabulum *συγχωτισθαι* explicatur per *ἀνάστροφην* conversationem. Et hæc species exinanitionis talis fuit, ut etiam illi, qui aliquando animadvertebant sapientiam & gratiam in ipso plus quam humanam, tamen non curabant, nisi quod Maria mater, qua ex Angelo, pastoribus, Simeone & ex domestici pueri colloquiis, propriū mysterium hoc intelligebat, diligentius talia potuit observare & manifestationes divinitatis ab exinanitione discernere. Sed tamen etiam de Maria scriptum est: (*Non intellexit verbum illud, &c.*) Tanta fuit exinanitio.

Inter illa autem, in quibus Evangelista puerum Jesum dicit profecisse, nominatur etiam *ηλεύθερα*, quod vocabulum significat statram corporis humani, Matth. 6.v.27. & Luc. 19.v.3.

Harm. Tom. I.

Et ita Syrus etiam reddidit, quam progressu ætatis auctam fuisse, sicut in reliquis hominibus, Evangelista docet. Vetus interpres reddidit (*proficiebat ætate:*) Sicut Joan. 9. v. 21. parentes cœci dicunt: Ipse ætatem habet, interrogate ipsum. Et quia Evangelistæ verba ita posita sunt, (*proficiebat sapientia, ηλεύθερα, & gratia:*) vetus interpres sensum voluit exprimere: Sicut in cæteris hominibus usitato naturæ cursu, anima, confirmatis paulatim ætate organis, potentias suas magis magisq; exerit, & operationes edit in corpore: Ita etiam in puerō Jesu profectum sapientiae & gratiae, rationem ætatis humanae non excessisse, ut vera humanitas probaretur. Et hæc exinanitio qualis fuerit, inde aliquomodo cogitari poterit, quod Johannes dicit: erat plenus gratia. Et Paulus Col. 2.v. 3. Omnes thesauri sapientiae & scientie in ipso fuerunt. Et tamen juxta mensuram ætatis, Lucas dicit, profecisse in ipso sapientiam & gratiam. Et ad hanc sententiam Paulus videtur alludere Eph. 4.v.13. Occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum adultum, in mensura ætatis, plenitudinis Christi.

Quod verò Lucas addit, (*erat subditus parentibus:*) ad externas operationes attinet. Et observetur vocabulum *τοποστόμενος*, quo summa exinanitio exprimitur. Significat enim, externas operationes alterius superioris dominio & imperio gubernari. Tribuitur enim servis, liberis, uxoribus & subditis, qui à dominis mandata accipiunt, & ea exequuntur. Syrus ita reddidit, ut fermè diceret: Erat servus eorum, ab *τῷ θεῷ*, ministrans eis. Certum igitur est ex hoc loco, parentes sàpè aliquid negotii vel laboris puerō Jesu mandasse, quod ipse obediens exequutus sit. Et ex hoc vocabulo veteres recte collegebunt, quid fecerit Jesus, seu quibus actionibus occupatus fuerit ante trigesimum annum. Ministerium enim nondum incoarāt, & literas non didicit, Joan. 7. v. 15. Nec putandum est, quod ignavo otio vitam traduxerit. Basilus igitur in asceticis c. 4. inquit: In prima ætate parentibus subditus, quemlibet labore corporeum humiliiter & obedienter sustinuit. Cum enim homines illi essent, justi quidem ac pii, egeni tamē & rebus necessariis non abundantes, teste praepeti, quod venerando partui inservivit, meritò laboribus corporis assiduis dediti erant, necessaria vitæ sibi inde quarentes. Jesus autem subditus & obediens illis omnino, etiam simul perferendo labores, subjectionem & obedientiam declarabat. Hæc Basilus. Iustinus in Tryphonie affirmat, Jesum fabricandis jugis & aratriis usque ad 30. annum occupatum fuisse. Nec solis conjecturis veterum hæc sententia nititur: Sed Nazarethani, quibus genū vitæ, in quo Jesus ante incoationem ministerii vixit, extra dubitationem notissimum fuit, non tantum fabri filium ipsum appellant, Matth. 13, 55. sed & Marc. 6, v. 2. dicunt: Unde huic, quod per manus ejus miracula fiunt? Nonne hic est *τέκτων* faber ille? Et observetur, quod mentionem faciunt manuum. Mirantur enim, & in eo scandalisantur, quod per illas manus talia miracula, quæ divinam virtutem declarant, edantur, quas

N

ante

antebiennium viderant opera fabrilia tractare. Et inde potest colligi, quomodo ante annum trigesimum, licet aliquos divinitatis radios ostendebat, cum proficeret sapientia & gratia apud Deum, & apud homines; tamen propter adjunctam summam exinanitionem contemtus fuerit. Nam quando secundo anno ministerii sui non amplius tractat fabrilia, sed clarissime fulget miraculis, & ita docet, ut Nazarethani sapientiam doctrinæ ejus admirari cogantur; tamen quia viderant vulgare illud & humilium vitæ genus, in quo anteā versatus fuerat, ita offenduntur, ut propter incredulitatem ipsorum nulla miracula in patria edere posset. Imò cùm primo anno ministerii sui, in synagoga ipsorum incipit docere, volunt eum de rupe precipitare, quod faber munus docendi quasi seditione invadere videatur. Illi igitur, qui educationem ipsius & genus vita, in quo ante annum trigesimum versatus fuit, viderunt, certissimi hujus rei testes esse possunt.

Præbet igitur illa historia, præter descriptiōnem exinanitionis & formæ servi, etiam hanc doctrinam, quod obedientiam liberorum erga parentes ita JESUS voluerit sanctificare: ut illo tam eximio exemplo obedientia filii Dei, erga matrem & curatorem fabrum, reliquis liberis obedientia erga parentes magis dilcefceret. Item, quod sudorem vultus, qui Adamo propter peccatum, Gen. 3. v. 16. impositus est, Jesus etiam in se reciperet: ut ita labore manuum & sudorem vultus sanctificaret. Tempore vero ministerii non manibus tractavit fabrilia, nec labore manuum quæsivit victum: sed ea, quæ ad ministerium pertinebant, curavit, & ex eleemosynis, quæ conferebantur, vixit, Luc. 8. vers. 3. Imò cum discipulos quotidiana institutione ad Apostolatum formandos suscepserat, noluit eos amplius manuum laboribus occupari. Et hoc, propter Anabaptistas, observandum est.

Vocabulum etiam τέκτων à Græcis interpretibus redditum est pro Ebraico Harasch: quod in genere significat, operas manuarias exercere. Hinc dicitur τέκτων σιδηρού, 1. Reg. 13. vers. 19. & Esa. 44. v. 12. χαλκεύς, 3. Reg. 7. v. 14. lapidum, 2. Reg. 5. v. 11. Lignorum vero τέκτων vocatur, 2. Reg. 5. v. 11. & 4. Reg. 12. v. 11. Isa. 44. v. 13. & 1. Par. 14. v. 1. οἰκοδόμος pariterum & faber lignorum. Et in hac significacione in hac historia accipitur: licet Hilarius de mulcendo ferro alicubi allegoriam textat.

Et hoc est, quod Lucas præcipue notare voluit, quod scilicet puer JESUS non apud templum, ut Samuel, inter Doctores, qui absque dubio tam puerum libenter apud se retinuissent, educatus fuit: nec apud Phariseos, ut Paulus ad pedes Gamalielis: nec in deserto apud Essaos, quæ educatione aliquid humanae auctoritatis ipsi addere potuisse videretur. Sed quod educari voluit in œconomia, & quidem Josephi fabri, œconomia vulgari, plebeja & pauperi, in vico obscuro & contemptu Nazareth: quæ omnia ratione exinanitionis convenient, ut doctrinæ & officii ipsius auctoritas non ab humanis præsidii, sed a solis divinis testimoniis penderet. Et quidem

statum œconomicum hac sua educatione voluit confirmare & sanctificare.

Et tantum de vita Christi usque ad annum trigesimum ex Evangelistarum scriptis colligere possumus. Et quia Spiritus sanctus pauca hæc, ad informationem fideli & ædificationem Ecclesiæ, sufficere judicavit, rejectis itaque aliis conflictis narrationibus hisce contenti simus. Sed priusquam hunc locum conciludamus de illa sententia: (*Profecit sapientia, & gratia apud Deum & homines,*) de qua varia disputata sunt, & pauca quædam annorabimus. Sobria enim explicatione aliquid lucis potest afferre ad illustrandam doctrinam de incarnatione, sive de personali unioni duarum naturarum in Christo. Miseratum autem est illud, quod scribitur: (*crevissit, & quod corroboratus est spiritu, quod profecit sapientia & gratia,*) pertinentem non ad divinam, sed ad humanam naturam in Christo, seu respectu humanae naturæ dici. Divinitati enim augmentum seu profectum tribuere, blasphemura est. Et Lucas ideò hæc conjungit: (*Puer JESUS crevessit & corroborabatur:*) & postea, ubi de profectu loquitur, in medio ponit ἡλικίαν, ut ostendat, ad quam naturam referenda hæc sint. Quomodo vero humana natura in Christo corroborata fuerit spiritu, & profecerit sapientia & gratia, veteres plerique ita explicant. Quia plenus fuit sapientia, Luc. 2. v. 40. ante annum duodecimum, & plenus gratia, quando verbum caro factum est, Joh. 1. v. 14. Sentiunt igitur ipsum profecisse, non quod plenitudini aliquid accesserit: sed ei hoc secundum effectus, quod scilicet plenitudine illa nec statim, nec semper, in assunta natura & per eam, iustis omnibus ostensionibus se exeruerit; sed inenarrabili exinanitione testa & occultata fuerit: subinde tamen magis magisque cœperit se manifestare. Et hoc sit proficeré, sicut Cyrillus inquit: *Quia juxta mensuram ætatis corporeæ, natura divina sapientiam propriam revelabat.* Et Nazianzeni sententia est: *Dicitur proficer secundum humanam naturam: non quod suscipiat augmentum divina sapientia, quæ ab initio fuit perfecta, sed ex eo, quod paulatim manifestabatur.* Scholastici vero disputant, de habitibus sapientiae & gratiae, animæ in humana natura Christi, infulis, quos, propter personalem cum divinitate unionem, contendunt, ab initio conceptionis perfectas fuisse, qui in effectibus subinde magis magisque se manifestarint. Thomas subtilius adhuc disputat de intellectu passibili, & de habitibus acquisitis; quod secundum scientiam acquisitam sive experimentalem profecerit. Sicut Ebr. 5. v. 8. scriptum est: *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Et ita ab illis hic profectus refertur ad externam speciem: non quod Christus in humana sua natura aliquid proficeret, sed quod reliquis hominibus per manifestationem hoc apparuerit. Quia vero Lucas dicit: (*Profecit & apud Deum & apud homines,*) Non autem dici potest, plenitudinem sapientiae & gratiae ita latuisse in Christo, ut progressu ætatis, non hominibus tantum, sed ipsi etiam Deo manifestanda fuerit: Ideo ex recentioribus quidam ita disputant: *Humanam naturam in Christo non statim ab incarnatione habuisse abun-*

abundantiam & plenitudinem omnium donorum. Verus enim homo fuit, & omnes humanas infirmitates, excepto peccato, non necessitatem naturae, sicut nos, sed propria voluntate suscepit: ut per omnia fratibus similis esset, excepto peccato. Sunt ergo, Christum, secundum animam, profecisse sapientia & gratia, nec in apparentia, sed re vera factam humanam naturam in Christo accessionem sapientiae.

Diligenter autem cayendum est, ne in explicanda obscura hac quæstione aliquid derogetur unioni personali duarum naturarum in Christo: quod veteres solicite in hac disputatione obseruasse, videntur. Ex vera igitur descriptione incarnationis & exinanitionis sumi potest simplicissima explicatio. Incarnatio enim est unio duarum naturarum, in persona Christi. Non sicut Deus habitat in creditibus.

Nec satis est ad personalem unionem, quod divinitas inseparabiliter habitat in Christo: ita enim habitat in sanctis angelis, & in nobis in futura vita inseparabiliter habitabit, quando Deus erit omnia in omnibus: Se i Paulus omnium planissime, describit unionem personale, quod scilicet tota plenitudo divinitatis habitet, in Christo σωματικῶς, hoc est, personaliter, in humana natura Christi. Non enim dici potest, in divinitate habitare plenitudinem divinitatis. Ergo, in assumpta natura plenitudinem illam divinitatis personaliter habitare, sentit Paulus. Et veteres similitudine ferri igniti hanc sententiam simplicissime declararunt. Sicut enim ignis undique miscetur ferro, ut nulla pars ferri experta sit ignis: ita arctissimo fædere, in Christo copulata sunt duæ naturæ. Non igitur dicendum est, humanam naturam in Christo aliquando vacuam & inanem fuisse: cum Scriptura ei tribuat totam divinitatis plenitudinem, ab ipsa incarnatione, Luc. 2. v. 40. Joan. 1. v. 14. Col. 2. v. 9: Sed huic plenitudini accedit exinanitio: quæ non talis fuit, quasi humana natura in Christo vacua aliquando & inanis fuisset, seu experts plenitudinis divinitatis; hoc enim revera esset tollere personalem unionem. Sed Paulus exinanitionem simplicissime ita describit, 2. Cor. 8. v. 9. πλεποιούσιν, επιλόγευστε dives existens, pauperem se gessit. Plenitudinem igitur divinitatis in humana natura non statim excusat, sed assumptis nostris infirmitatibus eam texit, non superficialiter coram hominibus tantum, sed tam profundè, ut etiam coram Deo esset humiliatio & exinanitio. Quæ non fuit ociosa dissimulatio coram hominibus tantum, sed fuit seria humiliatio Mediatoris coram æterno patre, Phil. 2. v. 6. ut ita, expiatio peccatis superbia nostra, promeretur, ut nos ipsius paupertate ditesceremus.

Qualis vero fuerit profundissima illa exinanitio, cum Deo omnia abscondita sint manifestissima, nec intelligi, nec cogitari potest. Et nobis sufficit scire, fuisse immensum & imperfici-

tabilem exinanitionem & humiliationem Mediatoris coram æterno Patre. Non enim leviter facta est expiatio peccatorum nostrorum. Ita si intelligatur sapientia & gratia de ea, quæ divinitatis est propria, & personaliter unita est assumpta naturæ, certum est, eam in Christo incarnato non creuisse vel auctam fuisse. Sed profectus ita intelligendus est, quod plenitudo illa divinitatis radios, subinde magis magisque illustres, in assumpta humana natura & per eam, exercuerit. Atque hæc est veterum interpretatio, & in hanc sententiam Damascenus, l. 3. prolixè disputat. Nestorianum esse, fingere, sapientiam & gratiam in Christo, subinde accessionem & additionem suscepisse.

Quia vero, præter hanc divinitatis sapientiam, etiam humana quædam infusa seu creata sapientia Christo, ut homini, tribuenda est; ne, juxta Apollinaris opinionem, divinitas loco anima rationalis carni Christi fuisse, existimetur. Scholastici igitur disputant, dotes illas creatas, quoad habitus infusos, ab initio conceptionis, in anima Christi, cui ipsa divinitas personaliter unita est, perfectas fuisse, nec crevisse: sed profectu referendum ad actus, qui subinde illustiores inde prodierint. Et hæc sententia inde etiam magnum robur accipit, quia pars corruptionis originalis est, quod nostræ animæ vacua, inanies, spoliatae & destituta spiritualibus illis donis nascuntur: & imperfectione donorum illorum in nobis non caret peccato.

Quia vero in similitudine hominum filius Dei factus, & γεγνηται ut homo inveniri voluit, ut, excepto peccato, per omnia fratibus similis esset: videtur quibusdam non impium, aut à fide alienum esse, dicere, dotes illas creatas, sive habitus infusos, progressu ætatis crevisse in anima Christi. Et hoc existimant verba Lucae innutre, (quod profecerit sapientia & gratia coram Deo & coram hominibus, more quidem aliorum hominum: sed tamen sine peccato, & supra modum humanum. Erat enim persona Deus & homo, qui non novit peccatum. Et Lucas quidem eadem phrasim de Johanne & de Christo utitur, cum inquit: (corrobobatur spiritu.) Et de Samuele etiam 1. Reg. 2. vers. 26. Scriptura eodem ferme modo loquitur: Samuel proficendo crescebat, & erat bonus tam apud Deum quam apud homines. Omnidò tamen statuenda est differentia inter profectum Christi, Johannis, & Samuelis: ut salva maneat excellentia & prerogativa Christi, præcipue vero hypostatica unio divina & humana naturæ in persona Christi. Et amplectenda est simplicissima sententia, quæ ad consolationem & ad ædificationem accommodari possit, ut utilis sit.

•ΦΩ(ο)ΦΩ•

CAPUT XVI.

CONTINENS HISTORIAM DE VOCATIONE BAPTISTÆ, DE INITIO, PROGRESSU, ET SUCCESSU PRÆDICATORIS, ET BAPTISMXI IPSIUS, USQUE AD BAPTISMUM CHRISTI,

Matth. 3, Marc. 1, Luc. 3.

RATIO ORDINIS.

Hactenus ordine ea persecuti sumus, quæ in historia Evangelica præcedunt incoationem publici ministerii Baptista & Christi. Et quia Baptista missus fuit, ut suo ministerio viam præpararet, priusquam Christus manifestaretur, ac suum ministerium publice auspicareatur. Rectè itaque hac historia præcedentibus subjungitur, & inaugurationi Christi præmititur. Quia vero Marcus in hac historia initium ponit Evangelii Christi, quidam hinc quasi novum librum ordiuntur. Sunt etiam, qui initium ministerii Christi ponunt in baptismo Joannis, propterea quod Petrus Act. 1. v. 22. inquit: Jesum ministerium suum incepisse à baptismo Joannis, usque ad diem assumptionis. Sed sensus est, sicut Petrus ipse explicat, Act. 10. v. 37. prædicationem de exhibito Messia, cœpisse quidem in baptismo Joannis, ipsum vero Jesum unctum spiritu, (quod factum est, cum à Joanne in Jordane baptizare-

tur,) post baptismum Joannis cœpisse facere & docere. Quia igitur simplici & certa ratione, quam res ipse monstrant, libros Harmoniæ Evangelice ita distribuere constituimus, ut singulorum ministerii Christi annorum actis singuli tribuantur libri. Cumque primus libera complectatur, quæ in Evangelica historia publicam illam incoationem ministerii Christi præcesserunt. Et primus annus ministerii Christi rectè incoetur ab illa historia, quando in Jordane Christus baptizatus, & Spiritu sancto unctionis, missus est ad prædicandum, Isa. 61. v. 1. Act. 10. v. 37. Ad ea igitur quæ publicam in coationem ministerii præcesserunt, pertinet etiam hac historia de incoatione & progressu ministerii Baptista, donec Christus venit pétens à Joanne baptizari. Atque ita juxta nostram distributionem ad primum librum hac historia pertinet, ut sequens liber, qui ordine secundus est, contineat incoationem & acta primi anni ministerii Christi.

HISTORIA, DE INITIO, ET PROGRESSU MINISTERII BAPTISTÆ, Matth. 3.

Marc. 1. Luc. 3.

M A T T H. 3.

1. Εν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ὅπου γίνεται Ιωάννης ὁ βαπτιστής, κηρυγμον ἐν τῷ ἔρημῳ τῆς Ιudeίας,
2. Καὶ λεγον· μετανοεῖτε· πρύγκης ὁ βασιλεὺς τῶν ὥσταν.
3. Οὐτοῦ γάρ οὖν ὃ ὑθεῖται οὐτός οὐτὸς εἰς τῷ φόρτῳ, λέγοντος· Φωνὴ βοῶντος εὐθὺς ἔρημον· Εἴσομαστε γὰρ ὅδον Κυρίου, εὐθέας ποιεῖτε τὰς τρέξεις αὐτοῦ.
4. Αὐτος δὲ ὁ Ιωάννης εἶχε τὸ σύνθημα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ τελείου καμπτόν, καὶ ἔστη δεξιαῖνος πρὸ τοῦ ὄφου αὐτοῦ· η δὲ τρόπον αὐτοῦ· η δὲ τρόπον αὐτοῦ λιγότερος καὶ αἰκίδειος καὶ μέλισταγον.
5. Τοτε ἐξεπορευετο τῷρος αὐτούς ιεροσόλυμα, καὶ παῖσα η Ιudeία, καὶ πᾶσα η περιχώρας ἐλογδάσσα.
6. Καὶ ἐβαπτίζοντο ἐν τῷ Ιορδάνῃ ὑπὸ αὐτοῦ, ἐξομολογούμενοι τὰς ἀμαρτίας αὐτῶν.
7. Ιδὼν δὲ τολλεύτων φαρισαίων καὶ Σαδδικαίων ἐρχομένων ὅπῃ τὸ βαπτιστικόν, εἶπεν αὐτοῖς· Γενηματα ἐχιδῶν, τις ὑπεδειχνεύει υἱὸν Φιλοῦρος δοτὸς τῆς μελλοτῆς ὁργῆς;
8. Ποιησατε δὲ καρποὺς αἵματος τῆς μετανοίας.
9. Καὶ μὴ δόξητε λεγεῖν εἰς εἰστοῖς· Πατέρα ἔχοντα τὸν Ἀβραάμ· λέγω δὲ· υμῖν, στις δύναται οὐ Θεός εἰς τὸν λίθον τετων εγείρεις τέντα τῷ Αβραάμ.
10. Ήδη δὲ καὶ αὕτην τῷρος τὸν μίζαν τὸν δευτέρων κατεταί, καὶ τοῖς πάντας βαλλεται.

1. In diebus illis accedit Johannes Baptista predicans in deserto Iudeæ.
2. Dicensq; panitentiam agite vita prioris, in propinquio est enim regnum calorum.
3. Nam hic est ille, de quo dixit Iosias Propheta, qui ait: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.
4. Ipse vero Johannes habebat indumentum suum ē pelis camelorum, & Zonam pelliceam circum lumbos suos: Porro cibis illius erant locustæ & mel sylvestre.
5. Tunc egressa ad illum Hierosolyma, & tota Iudea, totaque regio undique finitima Jordani.
6. Et baptizabatur in Jordane ab illo, confitentes peccata sua.
7. Cum vidisset autem multos ex Phariseis & Sadduceis venientes ad baptismum suum, dixit illis: Progenies viperarum, quis vobis submonstravit, ut fugeretis à ventura ira?
8. Facite igitur fructus qui deceant panitentiam.
9. Et ne sitis hac mente, ut dicatis intra vos ipsos: Patri habemus Abram: dico enim vobis, quid possit Deus facere, ut ex lapidibus his filii surgant Abraham.
10. Jam vero & securis ad radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur.

11. Ego